

creditoribus ac legatariis solvere ultra hæreditatis vires. 2º. Neque attendere, quis creditorum habeat jus prælationis; ut solvere possit primo venienti, modo id faciat bona fide. 3º. Hæredi conservat actiones suas, quas ipse contra defunctum habuit, ut cum creditoribus cæteris paris fortunæ sit. 4º. Potest deducere falcidiam, sive quartam bonorum partem, si legata exhaurirent hæreditatem; quod tamen ad trebellianicam non extenditur, ut hanc amittat sine confectione inventarii, ut dicitur, ubi de ultimis voluntatibus.

Dixi tamen: *legitime confectionem*; nam 1º. debet fieri *justo tempore*, id est, intra tres menses a die, quo hæredi innotuit sibi delatam esse hæreditatem, computandos, sic quidem, ut intra primum mensem inchoetur, intra duos reliquos absolvatur, *L. fin. §. 1. 2. 11. C. de Jur. deliber.* nisi absint hæredes, aut bona in diversis territoriis sita sint; sic enim integer annus a tempore mortis ad perficiendum inventarium conceditur, *L. fin. cit. §. 2. 3. 2º.* Fiat *legitimo modo*; ita scilicet, ut adhibeatur *notarius*, aut cui alias id commisit magistratus, *L. fin. cit. §. 2.*; item illi, quorum interest, citentur, creditores, legatarii, ut adsint inventario, et tamen, si absint, coram testibus minimum tribus fieri possit, *Nov. 1. c. 2. §. 1. 3º.* Ut *hæres nomen suum subscribat*, vel si scribere non possit, specialem adhibeat notarium, qui loco ipsius coram testibus subscribat. *L. fin. cit.*

145. *Si dicas* 2º. Potest quis hæreditatem partim adire, partim repudiare; ergo repudiatione saltem non amittitur hæreditas simpliciter. *Prob. Ant. Ex L. 20. C. de Jur. delib. in fin.* necessitas imponitur hæredi particulari facto, vel aliam, aut alias partes hæreditatis admittere, vel etiam substitutionem pupillarem; ergo supponitur hæredem posse alterutrum solum admittere.

*R. N. Ant.* Quia, ut clare dicitur §. 5. *Inst. de hæred. instit.* neque enim *idem ex parte testatus, et ex parte intestatus decedere potest.*

*Ad prob. Ant. R.* Etsi ita extet in plerisque editionibus, Jurisconsultorum tamen consensu legendum esse, *non admittere*, quia alias disjunctio non cohæret cum præcedentibus: *placuit enim nobis sive in institutione, sive in pupillari substitutione; ut vel omnia admittantur, vel omnia repudiantur, et necessitas, etc.* quibus clara asseritur data responsio.

146. *Si dicas* 3º. In hæredibus suis et legitimis non est necessaria aditio *L. 14. ff. de suis et legit. hæred.* quia ipso jure statim hæredes sunt; ergo neque immixtio.

*R. C. Ant.* Quia hæres suus absque additione sive acceptione fit statim rerum hæreditariarum dominus, et fictione juris censetur esse persona eadem cum patre in vita, ac post mortem patris, non hæreditatem, sed bonorum administrationem liberam videtur consequi. At *N. Cons.* Quia sine immixtione non succedit in omnia defuncti jura tam activa, quam passiva, quod est proprie hæredem esse.

147. *Si dicas* 4º. Si hæredi suo sit necessaria immixtio; ergo non differret ab hærede necessario non suo, neque ab extraneo.

*R. N. Seq.* Nam 1º. hæres extraneus ante additionem hæreditatis delatæ,

nullum habet in ea jus, sed tantummodo jus illam acceptandi. Secus est de hærede suo ex ante dictis. 2º. Hæres necessarius non suus, sive filius emancipatus, qui exivit e patria potestate facto hominis, non dispositione legis, non gaudet privilegio suitatis quoad transmissionem hæreditatis; at eo gaudet hæres suus, nec ex solo privilegio juris, sed æquitate naturali.

Neque obstat *L. 18. §. 1. C. de legitim. hæred.* qua hæredes necessarii tam sui, quam non sui, æquiparati videntur; non enim ibi æquiparantur perfecte quoad omnia; alias enim sublata dici deberet emancipatio; et in emancipato facto patris duraret adhuc potestas patria. Igitur æquiparantur 1º. Quod emancipatus possit modo succedere patri de jure civili. 2º. Quod ipsi debeatur legitima sicut nondum emancipato. 3º. Quod legitima æqualis sit respectu utriusque. 4º. Quod iisdem eam remediis possit consequi, ac quidem per 30. annos; neque nunc excludatur unius lapsu anni.

148. *Si dicas* 5º. Si ad additionem, vel immixtionem necessaria sit declaratio; ergo furiosus, pupillus infans, sive nondum egressus septennium, non possent hæreditatem consequi.

*R. D. Seq.* Non possent per se ipsos *C.* per alios *N.* Pupillus infans eam per tutorem consequitur; furiosus per curatorem jure novo, *L. 7. §. 3. C. de Curat. fur.* licet, spectato jure veteri, *L. 90. ff. de acquir. hæred.* ne quidem per curatorem hæreditatem potuerit consequi.

*Si dicas* 6º. Pupillus potest sine auctoritate tutoris repudiare hæreditatem, vel ab ea abstinere; ergo etiam sic adire.

*R. N. Ant.* Regula enim est, quod qui hæreditatem adire, vel ei se immiscere non potest, etiam eam repudiare, vel illa abstinere non possit, *L. 18. ff. de acquir. vel omitt. hæred.* Hactenus relata juris satis certi et clari sunt, quibus proin et juris et exercitii gratia quasdam, quæ remanere videntur, controversias visum subijcere.

## ARTICULUS II.

QUID LEGITIMA? AN FILIUS HÆRES INSTITUTUS A PATRE POSSIT REPUDIARE HÆREDITATEM RETENTA SOLUM LEGITIMA?

149. *Nota I.* Hæredes necessarii non debent necessario institui in substantia, vel massa tota hæreditaria; quia nimis durum foret testatoribus; non habere liberam de rebus suis dispositionem; nec facultatem de aliis bene merendi, vel bene merentium obsequia compensandi, etiam inter ipsos hæredes necessarios. Sed satisfaciet testator, si hæredibus necessariis relinquat legitimam, sive illam bonorum portionem, quæ illis jure debetur. Pro qua cognoscenda

*Nota II.* Tota massa hæreditaria dividitur in uncias, sive partes 12. Duæ uncia dicuntur *sextans*, quasi sexta pars: tres uncia, *quadrans*, sive quarta pars: quatuor uncia, *triens*, tertia pars: quinque uncia, *quincunx*: sex uncia, *semis*, vel *semissis*, sive media pars: septem uncia, *septunx*: octo uncia, *bes*, id est, bis triens: novem uncia, *dodrans*:

decem unciae, *dextans* : undecim unciae, *deunx* : denique hæreditas tota, *as* ; unde qui solus in tota hæreditate succedit, dicitur *hæres ex asse*.

*Dico I.* Legitima est illa hæreditaria portio, vel pars hæreditatis, quæ hæredibus necessariis necessario relinqui in testamento debet. Jure antiquo erat quadrans; *jure autem novo* aucta est, ita ut, si liberi non sint plures quam quatuor, legitima iis debita sit *triens*; si vero sint plures quam quatuor, legitima sit *semis*, vel *semissis*; quæ deinde pars vel *triens*, vel *semis* æqualiter inter liberos dividenda est, *Nov. 18. c. 1. et Auth. Novissima. C. de inoffic. Testam.* Hinc antiqui versiculi :

Quatuor aut infra dant natis jura trientem.

Semissem vero dant natis quinque vel ultra.

Arbitrium sequitur substantia cætera patris.

Quæ vero hæredes necessarij jam acceperunt forsitan a testatore in vivis, velut per modum dotis, donationis propter nuptias, etc. nihilominus computari debent in legitimam; nisi testator expresse contrarium voluisset, *Nov. cit. c. 6.*; item, textus et doctores in *t. t. ff. et C. de Collat.* ubi præsertim *Nov.* antiqua jura ex parte corriguntur. Non tamen etiam conferri sumptus debent, quos pater fecit in educandis liberis studiorum, opificii, etc. addiscendi causa.

150. *Dico II.* Filius hæres a patre institutus hæreditatem repudiare nequit retenta legitima. Cont. HAUNOLD., HUNNIUM, MANZIUM aliosque.

*Prob. I.* Nemo potest hæreditatem quamcumque ex parte adire, et ex parte repudiare, aut eam adire scindendo, *L. Qui totam. I. et L. Sed et si. 2. ff. de acquir. vel omitt. hæred.* Atqui legitima est pars hæreditatis paternæ; sicut enim hæreditas est successio in universum jus defuncti; sic legitima est hæreditatis ejusdem certa, sive quota, nimirum vel tertia, vel dimidia pars, *Nov. 18. c. 1. ac Auth. Novissima. C. cit.* Igitur nequit filius retinere legitimam, et reliquam repudiare hæreditatem, quia alias pro parte esset patris sui hæres, et pro alia non esset.

*Prob. II.* Legitima hodie est titulo *institutionis* relinquenda necessario, *Nov. pervenit. 113. c. 3. pr.* quia titulus institutionis est non tantum honorabilior, velut titulus sine vitulo, sed et re ipsa utilior, utpote *jus accrescendi* post se trahens, *L. 59. ff. de hæred. instit.* Igitur, cum filius legitimam non aliter, quam hæreditatis nomine possit prætere, necesse est, ut, dum unam hæreditatis partem agnoscit, eandem totam debeat agnoscere, cum hæreditas per supra *citt. LL.* separari non possit; et qui rem aliquam acceptat, eandem cum omni sua causa, onere, et natura acceptare teneatur, *L. si duo. 38. ff. de hæred. instit.*

*Prob. III.* Si filius repudiaret hæreditatem, non posset prætere legitimam, nec tanquam ex testamento sibi debitam, nec tanquam ab intestato: non prius; quia alias sequeretur necessario, quod pater ex parte testatus, ex parte intestatus decederet, quod repugnat juri. Vid. *citt. ante, et num. 143.* Non posterius; quia trita est juris regula, quod, quamdiu hæreditas ex testamento adiri potest, tandiu non possit eadem ab intestato præterendi, *L. quamdiu 3. ff. de acquir. vel omitt. hæred.* et nemo possit omissa causa

testamenti ab intestato hæreditatem adire, *tot. tit. ff. si quis omiss. caus. testam.* Cum igitur filius a patre ex asse institutus possit legitimam suam ex testamento patris adeundo acquirere; non poterit eandem, omissa hac causa, ab intestato prætere.

151. *Obj. I.* Filius respectu debitæ sibi legitimæ est creditor patris, et pater est debitor filii; hinc enim etiam legitima pro debito naturæ, hoc est, tali, quod filio de jure naturali est debitum, habetur in *Nov. occupatis. 1. in præfat. §. primum.* 2. Sed quicumque creditor a suo debitore hæres institutus potest repudiata hæreditate reliqua sui debitoris exigere debitum *arg. L. 5. C. de hæred. Act.* quia videlicet creditum et debitum tantum per additionem hæreditatis confunditur, non vero per ejusdem repudiationem, *L. cit. 5.*; ergo etiam filius, ceu creditor sui patris idem poterit.

*R. D. Ant.* Est respectu legitimæ patri suo creditor proprie et vere talis *N.* Analogice et improprie talis *C.* Verus et proprie talis creditor non est, cum legitima, ut dicit determinatam a jure portionem, inventum et creatura præcise juris civilis sit, quæ non debetur, nisi deducto omni ære alieno. Ac licet pater respectu legitimæ possit dici improprie debitor filii, lata tamen est inter hoc et aliud debitum differentia; legitima est pars vel quota hæreditatis, non aliud debitum; hinc mirum non est posse creditorem verum, petito suo debito, repudiare hæreditatem, quin idem possit filius retenta legitima.

152. *Obj. II.* Legitima non est pars hæreditatis, sed solummodo honorum paternorum; ergo ruit fundamentum conclusionis. *Prob. Ant. 1º.* Quia legitima non est præstanda, nisi deducto omni ære alieno, *L. Papinianus. 8. §. quarta. 9. ff. de inoffic. Testam. 2º.* Quia quarta honorum vocatur *L. cum queritur. 6. C. de inoffic. Testam.*; ergo non est pars hæreditatis, sed quid ab hac separatum; ergo revera prætere potest hæreditate repudiata.

*R. N. Ant.* Debet enim relinqui titulo institutionis, juxta *LL. in Concl. cit.* vocatur *triens*, *semis*, quæ vocabula non nisi certam hæreditatis quotam denotare, plus quam satis patet ex *L. 50. §. 3. ff. de hæred. instit. et §. 5. Inst. eod.* Quibus adde leges alias quæ legitimam partem hæreditatis non minus clare et absolute pronunciant, ut *L. 27. §. 13. ff. ad SC. Trebell. L. 36. §. 1. C. de inoffic. Testam. L. 28. de Legat. 2. juncta Glossa.*

*Ad prob. 1ª.* *R. N. Cons.* Quod enim legitima non nisi deducto ære alieno solvenda sit, est propterea, ut possit iniri computus quantitatis legitimæ, cum legitima tanquam improprium et quasi debitum cedere debeat æri alieno et expensis funebribus tanquam debito vero ac proprio.

*Ad prob. 2.* *R. D.* Dicitur pars honorum legitima, sumendo bona improprie, in sensu latiore pro ipsa hæreditate materialiter *C.* secus *N.* Uti deducitur *argum. L. 14. §. finali. ff. ad SC. Trebell.* tum, quia absolute alias *pars hæreditatis* dicitur, sequitur, dum quarta honorum dicitur, bona sumi improprie. Denum jure novissimo est *triens*, vel *semis*, *Nov. 18. cit. sup.*

153. *Obj. III.* Legitima est relinquenda liberis et tradenda absque omni onere, *L. 30. et 32. C. de inoffic. Testam.* quia est potius portio legis et juris

provisio; quam hominis, sive testatoris patris *arg. L. 7. pr. ff. de bon. damnat.* at vero onus satis grave esset adhærens legitimæ, si filius, eam acceptando, hoc ipso totum hæreditatis onus portare cogeretur; ergo.

R. D. M. Est relinquenda absque omni onere a testatore ipsi imposito C. imposito a lege N. Testator pater non potest legitimam aliquo gravare onere, sed eam plane liberam debet relinquere. At onus hoc legitimæ non pater, sed lex imposuit, quæ filio legitimam dare non vult, nisi sub conditione, ut simul agnoscat reliquam hæreditatem patris. Imo non est hoc onus legitimæ, sed generalis et justa legis dispositio, ut nemo pro parte hæres; pro parte non hæres; ex parte testatus, ex parte intestatus esse possit; idque propter bonum publicum, ne, secus, etiam onera hæreditaria pro parte subeantur, pro parte non, cum maximo creditorum et legatariorum præjudicio.

134. *Obj. IV. 1º.* Patronus potest substituto relinquere hæreditatem a liberto relictam, retenta portione sibi debita, *L. 41. ff. de bon. Libert. Si substitutum habebit, accepta debita portione, cætera pars ad substitutum perveniet.* Ergo a pari. 2º. Si quid filius a patre in vivis obtinuit, retinere hoc potest, et tamen reliquam ejus repudiare hæreditatem; ergo et hic. 3º. Ex hac sententiâ sequeretur, quod pater posset filium privare legitima, saltem per indirectum, scilicet sub conditione, si hæreditatem paternam esset repudiaturus; quia hoc casu etiam legitimam non acquireret: sed hoc repugnat *L. 8. §. 9. ff. de inoffic. L. 30. 32. C. de inoffic. Testam.*

*Ad 1ºm.* R. D. *Cons.* Si etiam filius in hæreditate patris haberet substitutum, ut patronus *L. cit. C.* Cum non habere supponatur N. Si filius in hæreditate patris substitutum haberet, nihil impediret, quo minus, retenta legitima, posset repudiare hæreditatem reliquam, quia tunc cessarent rationes pleræque; sic enim nec pater partim testatus, partim intestatus decederet: hæreditas non adiretur scindendo: nullum metuendum creditorum et legatariorum præjudicium, cum in hæreditatem succederet substitutus; sed, hoc facto supposito, cessaret controversia, quæ in eo maxime hæret, an, quin substitutum habeat, possit repudiare hæreditatem retenta legitima? ac respondetur negative.

*Ad 2ºm.* R. *Disparitas est clara*, quod nec donata inter vivos (idem est etiam de legato) sint pars hæreditatis, qualis tamen est legitima.

*Ad 3ºm.* R. Hanc conditionem non videri ab ipso esse patre adjectam, sed subintrare tacite ex dispositione legis prohibentis, consequenter neque absurda dici potest hæc conditio ipso a jure probata.

### ARTICULUS III.

AN PER SUBSTITUTIONEM PUPILLAREM TACITAM A SUCCESSIONE LIBERORUM EXCLUDATUR MATER?

Status controversiæ ex hoc casu relucet: testator pater hanc fecit substitutionem pupillarem: *si filius hæres non erit; Caius esto*, quæ est pupillaris tacita contenta sub expressâ vulgari. Mortuo patre filius vere fit hæres, aditque hæreditatem. At postea temporis moritur filius sine hærede suo, vel

adhuc in pupillari ætate. Jam quæritur quis succedat, an adhuc Caius exclusa matre filii? an vero ipsa mater, non Caius? Unde quæstio non in eo versatur, utrum, si filius non esset hæres, ut, quia esse nollet, tunc succedat Caius? certum enim est, tunc Caium, non matrem succedere; hoc enim saltem vult clare data substitutio.

135. *Dico.* Per substitutionem pupillarem tacitam mater a successione liberorum non excluditur.

*Prob. I.* Mater a successione filii arceri, ac suo jure privari non potest, nisi hoc nominatim a lege, vel testatore sit expressum, *arg. L. 14. §. 14. de Relig. et sumpt. fun. Nov. 2. c. 3.* ac ratio est, quia alias jus matris certum ipsique a jure constitutum manet in possessione; sed in casu dato neque per testatorem, neque per legem aliquid expressum est; ergo in hoc mater a successione filii arceri non potest. *Min.* constat inde, quod in jure textum, qui hanc matris exclusionem probaret, reperire non sit. Præterea cum dubium sit, an pater ita substituendo excludere voluerit matrem filii, an non? interpretatio fieri debet juxta dispositionem legis, qua successio ab intestato defertur; ordinariè enim in dubio causa testati declaratur ac regulatur a causa intestati; ergo etiam hanc substitutionem sic interpretari oportet, quod pater matrem excludere non voluerit; tum etiam propterea, quod, si excludere matrem voluisset, facile id potuisset exprimere, *L. unid. §. 11. in fin. C. de cad. toll.*

136. *Prob. II. L. fin. C. de inst. et subst.* hic casus proponitur: Testator habens uxorem prægnantem, eam hæredem instituit ex parte; ex altera vero parte ventrem, sive fœtum, cui, si natus non erit, substituit Caium: editur partus, fitque hæres patri, verum adhuc in pupillari ætate moritur: quæritur, an substitutus admittatur ex substitutione pupillari tacita, si quidem substituit substitutione vulgari expressa: *si natus non fuerit*, id est, *si hæres non erit*; an vero mater substituto sit præferenda? Et respondetur in *L. cit.* matrem substituto præferri; ergo ex hac *L.* satis perspicue licet colligere, quod substitutio pupillaris tacita non æque, ac expressa excludat matrem a successione liberorum.

*Respondent Adv.* quod in *cit. L.* mater sit data filii cohæres. Sed *contra est 1º.* Quod Imperator in *cit. L. fin.* principaliter se non fundet in eo, quod mater data sit cohæres filio; sed in hoc, quod iniquum sit, matrem, ad quam summus mæror ex filii morte pervenit, et amissi filii, et luctuosæ hæreditatis damnum sentire ex sola subintellecta pupillari. Quæ ratio haud dubie etiam locum habet in casu, quo mater cohæres data non fuit.

2º. Quod in *cit. L.* dicatur, *ideo magis* luctuosam hæreditatem capere matrem, quia est cohæres; nam particula *magis* alterius casus non exclusiva, sed implicativa est.

3º. Quod hujus ipsiusmet legis verba finalia omne videantur præcidere dubium, dum inquit Imperator, matrem esse præferendam substituto, ita ut non alias velit venire substitutum, quam si mater non est in medio; ergo Imperator se unice in matre fundat; sed etiam in nostro casu mater est in medio.

*Prob. III.* Substitutio pupillaris ex tacita voluntate patris præsumitur,  
III. p. 2.

ut dicitur *L. 4. ff. de Vulg. et Pupill. subst.* atqui præsumptio nihil operatur, si ei resistat æquitas, *L. 19. pr. et §. 4. 5. ff. de capt. et postlim. revers.*; ergo nec in nostro casu aliquid ea præsumptio operabitur, cum æquitas non suadeat, matrem a successione pupilli per tacitam pupillarem excludi, *arg. L. 15. de inoffic. Testam. et L. 7. in fin. unde liberi.* item *L. fin. C. de inst. et subst.* de qua ante in prob. 2<sup>a</sup>. Non enim debemus substitutionem pupillarem tacitam ita adjuvare, atque interpretari ex præsumpta solummodo testatoris mente, ut in odium mœstæ matris extendatur eo, ut illa a filii sui impuberis successione sibi propter mortalitatis turbatum ordinem ex commiseratione et pietate debita excluderetur. Igitur ruit contrariæ sententiæ fundamentum in illa præsumptione ex tacita voluntate patris constitutum. Nihilominus

157. *Obj. I.* Excluditur mater a substituto per substitutionem pupillarem expressam; ergo etiam per pupillarem tacitam, utpote sub expressa vulgari contentam.

*R. C. Ant.* quod claris constat textibus *L. 8. §. 5. ff. de inoffic. Test.* item *c. si pater. 1. de Testam. in 6.* At *N. Cons.* Ratio disparitatis est, quia dum alicui expresse pupillariter substituitur; tunc mens et verba testatoris per se clara et certa sunt, quod voluerit magis substitutum succedere, quam ipsam matrem: at dum tacita pupillaris substitutio in expressa vulgari continetur, neque ex verbis, neque ex mente testatoris sufficienter potest colligi, an voluerit a substituto matrem excludi; ac solum præsumptive arguimus, testatorem hoc, vel illud voluisse; sed præsumptiones in alterius injuriam trahi non debent, neque eo extendi, ut repugnent æquitati.

*Si urgeas:* Taciti et expressi eadem virtus est, *L. 3. ff. de R. C. L. 32. ff. de LL. L. 2. C. de Pact.* ubi hoc partim terminis expressis, partim æquivalentibus asseritur; ergo si mater excludatur per substitutionem pupillarem expressam, etiam excludetur per tacitam.

*R. D. Ant.* Taciti et expressi eadem virtus, ubi eadem est, vel manet ratio *C.* Si diversa sit utriusque ratio *N.* At in præsentī controversia diversam esse rationem substitutionis pupillaris tacitæ et expressæ, constat satis ex hucusque dictis. Expressa vocat absolute substitutum, ac proinde matrem a successione removet: tacita autem substitutum absolute non vocat; sed tantum ex præsumpta testatoris mente, quæ præsumptio contra matrem habere locum non potest, nec debet.

158. *Obj. II.* Substitutio facta in casum unum, etiam facta censetur in alterum, *L. 4. ff. de Vulgar. et Pupillar. subst.*; ergo si substitutus in unum casum præfertur matri, velut per pupillarem expressam, etiam substitutus in alterum casum, videlicet vulgarem, præferendus est matri.

*R. 1<sup>o</sup>. D. Ant.* Substitutio facta in casum unum, etiam facta censetur in alterum, si mater non sit in medio *C.* Si sit in medio *N.*

*R. 2<sup>o</sup>. D. Ant.* Substitutio in unum casum facta, censetur etiam facta in alterum, ita ut substitutio in utroque casu eosdem omnino semper effectus habeat *N.* Secus *C. Ant.* et *N. Cons.*

159. *Obj. III.* In *L. 45. ff. de Vulg. et Pupill. subst.* ait Jurisconsultus:

*Aliter, si ejusdem ætatis liberi instituti, invicemque substituti fuissent, tunc enim altero defuncto intra pubertatem ejus successio non ad matrem, sed ad substitutum fratrem ejus devolvitur; ergo revera mater a substituto excluditur.*

*R. D. Cons.* Ergo mater excluditur, si intervenit substitutio reciproca *C.* Si pupillaris tacita *N.* In casu *Leg. cit.* a patre non fuit facta substitutio vulgaris, quæ in se tacitam pupillarem continet; sed reciproca, per quam utique mater excluditur; quia substitutio reciproca utramque, hoc est tam vulgarem, quam pupillarem expressam in se continet.

160. *Obj. IV.* Non est locus legitimo, quamdiu speratur hæres ex testamento, *L. 2. et 69. ff. de acquir. hæredit.* Atqui, quando adest substitutus, etiamsi mater in medio sit, tamen adhuc speratur hæres ex testamento, nimirum substitutus; ergo si adest substitutus, hæredi legitimo locus non est. *Subs.* Sed mater est tantum hæres legitima; tantum enim ex dispositione juris admittitur; ergo.

*R. N. min.* Hoc ipso enim, quod mater sit in medio, adita per impuberem hæreditate, statim desinit esse locus substituto, qui, si mater in medio non fuisset, admissus fuisset ex testamento.

161. *Obj. V. L. 8. C. de impub. subst.* tanquam privilegium singulare tribuitur militi, quod substitutio facta in casum primum, sive vulgarem, si hæres non erit, evanescat per hoc, quod impubes patri militi hæres extiterit, adeoque, impubere mortuo, locus sit matri ad successionem in bonis et patris, et etiam filii; ergo hoc privilegium non est trahendum ad casus alios, aliasque substitutiones; quin potius dicendum contrarium, cum, juxta vulgatum, *exceptio firmet regulam.*

*R. N. Ant.* Etsi enim in *cit. L. 8.* militis fiat mentio, non tamen inde sequitur, esse hoc militare duntaxat privilegium; eo quod Imperatores rescribant secundum jus commune, quod etiam amplexus est JUSTINIANUS *L. fin. C. de inst. et substit.*

#### ARTICULUS IV.

QUID JUS ACCRESCENDI? AN AD EMPTOREM HEREDITATIS TRANSEAT?

162. *Dico I.* Jus accrescendi est jus, quo hæreditatis, aut alterius rei mortis causa relictae portio vacans accedit alteri parti a conjuncto agnitæ ad conservandam hæreditatis individuitatem, et testatoris, vel legantis voluntatem, *L. 53. ff. de acquir. hæred.* Unde fundamentum juris accrescendi est voluntas testatoris præsumpta, qui vacantem portionem potius ad eum creditur voluisse pervenire, cui jam eandem rem reliquerat, quam ad alium, *L. 4. 58. 61. in fin. ff. de legat. 2.* In hæreditate aliud adhuc subest fundamentum singulare, scilicet hæreditatis individuitas; hæres enim cum defuncti personam repræsentat, *L. 24. ff. de V. S.* non potest partem hæreditatis agnoscere, et partem repudiare juxta Art. II. imo in hæreditate testamentaria pro jure accrescendi etiam hæc militat ratio, ne quis pro parte testatus decedat, et pro parte intestatus, *L. 7. ff. de R. I.*